





1007.

58

1736, 19.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

D. IOHANNES FLORENS

RIVINVS

PAND. P. P.

H. D. Grotth



LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

D. IOHANNES FLORENS

RIVINVS

PAND. P. P.





DOs tribus modis olim constitue-
batur. Aut dabatur interue-
niente statim traditione; aut di-
cebatur nudis verbis, solennibus
tamen; aut promittebatur per
stipulationem, interposito aliquo
tempore. Sed istae verborum ambages subla-
tae *L. ult. C. Th. de dotib. L. 10. C. de contr. et
commit. stip.* ita vt dotis conuentio nuda, vel quo-
libet modo facta, stipulationis legitimae vicem ob-
tineat. Hinc *Vlpianum* vocabulum pollicitatio-
nis in *L. 1. §. 8. de dot. collat.* tam pro dotis pro-
missione, quam dictione vsurpasse legimus. Mu-
tata igitur est vox dictionis dotis, in pollicitationis,
in *L. 6. C. de dot. prom.* et in *L. 1. C. de iure dot.*

) 2

pro

pro *ex dictione* Tribonianus reposuit *condictione*,
scilicet certi, vt proinde duplex ibidem concessa
actio, altera ex stipulatu, cum incerta, aut ea sim-
pliciter, vel conditio certi, cum certa quantitas in
conuentionem deducta *Petr. Burgius Elect. c.*
XI. vbi priori casu dos pro modo facultatum pa-
tris et dignitate mariti *L. 69. §. 4. π. de Iure dot.*
L. 3. C. de dot. prom. Vinc. de Franchis Decis.
DCVI. n. 3. Iul. Capon. Discept. forens. T. II.
Disc. 106. n. 33. Iob. Carol. Antonel. de tempore
legali L. II. c. 98. n. 36. ad arbitrium boni viri et
diligentis patris familias definienda, vt exitum ha-
bere queat, siue pater, siue ipsa mulier, siue extra-
neus promiserit *L. 69. §. 4. π. de Iure dot.* quam
cum *L. 1. C. de promiss. dotis conciliat Lud. Cha-*
rondas Verosmil. L. 1. c. 17. iung. L. 3. C. de dot.
prom. et Beyer Posit. ad π. Tit. de Iure dot. §.
16. qui eam quam *Titius in not. ad Lauterb. obs.*
772. disputat sententiam contrariam, cui antea ad-
dictus fuerat, deseruit. Et si quidem terminus so-
lutioni dictus a sponsore, ex tempore morae et-
iam debentur vsurae *L. 5. §. 1. π. de dot. collat.*
alias vsurae dotis promissae inprimis ab extraneo,
non ob id debentur quod per multos annos ma-
ritus vxorem exhibuerit, caeteraque matrimonii
onera sustinuerit, sed ab eo demum tempore quo
mora fuit contracta *L. 54. π. de don. int. vir. et*
vx. Carpz. P. II. C. XLII. def. 14. n. 1. Iure
Codi-

Codicis biennium a tempore matrimonii consum-
mati est definitum, extat enim constitutio *Iusti-*
niani in *L. f. §. 2. C. de Iure dot.* An vero ead-
dem in dote promissa etiam profit patri, an vero
vnicui se referat ad extraneum? non vna eademque
doctorem sententia sed adhuc sub iudice lis est.
Nonnulli quidem laxamentum illud temporis in-
dulgent extraneo, sed ad parentem biennii metas
extendere verentur, quem potius ex ipso nuptia-
rum die ad vsurarum praestationem obligatum cen-
sent, quandoquidem hic ex necessitate iuris ad do-
tandam filiam teneatur, tertius vero ex libera vo-
luntate, meritoque arbitrio dotem promittat *Brun-*
nemann. ad L. f. C. de Iure dot. num. 9. Addunt cum
Mart. Colero de alim. L. 3. c. 5. n. 43. rationem cur
extranei partes meliores sint quam patris, quod pa-
ter qui dotem promisit duplex lucrum sentiat, nem-
pe ex pecuniae non solutae vsu, et liberatione ab
onere alimentorum, cum ex aduerso extraneus non
nisi nummis interea temporis fruatur, et sane
aequum videatur vt ibi dos aut saltem dotis fructus
sint, vbi onera matrimonii, ad quae sustinenda pa-
ter dotem genero promiserit *Anton. Faber in Cod.*
Lib. IV. T. 6. def. 6. cui sententiae addictus est
Nob. de Berger Oecon. Iur. L. 1. T. 3. §. 10. not. g.
qui Scabios Vittebergenses in hunc modum pro-
nunciassse commemorat. At enim vero, Legis al-
legatae generalitas contrarium suadere videtur, si-

quidem Imperator in vniuersum sanciuit: *Si quis*, non adhibito discrimine personarum, in dotem vel praedia, vel certum reditum, vel aedes, vel panes ciuiles sponderit vel promiserit, si ex tempore matrimonii biennium transactum sit, ilico redituum vel pensionum, nec non panis ciuilis quaestum eum praestare debere, etiamsi non fuerint adhuc res principales traditae, et si tota dos in auro sit, itidem post biennium vsuras praestare debere. Lege vero non distinguente, nec nostrum erit proprio ausu distinctionem quandam fingere. Fontes enim ex quibus obligatio ad vsuras fluit, sunt stipulatio, mora, et denique specialis legis dispositio. Talis quidem in dicta lege inuenitur, sed ista contra promissorem dotis demum post biennium vim suam exerit, quippe quod, vt terminum a quo committendae morae constituat, nec aequitas in auxilium vocanda. Solum enim aequum et bonum vt loquuntur communiter, obligationem ad vsuras gignere nequit, cum aequitas, et si conscientiam quodammodo obstringat, actionem tamen et persecutionem in foro externo non pariat *Dn. Leyser Med. ad π. Spec. CCXLIV. Med. 2.* Expectabit igitur gener tranquillo animo tenacis foci horas et moras, et plus exinde lucri commodiue quam ex implorato officio iudicis sentiet. Secundum hanc legem etiam hodie iudicatur, et nouissime in Collegio nostro pro immunitate patris promissoris, vicit

cit pluralitas votorum: quod per benignam consequentiam ad donationem propter nuptias, quam *L. 20. C. de don. ante nupt. Nou. 91. 97. 119.* cum dote per omnia exaequarunt, iisdemque iuribus frui iubent, optimo iure applicari poterit. An vero eo casu, si pater nullam filiae dotem promissit sed ex necessitate legis et officio iudicis ad eandem constituendam, licet non promissam damnetur, quod vt hodie fieri queat expediti iuris esse videtur, ad vsuras etiam obligetur? quod in totum negare videretur. *Dn. Leyser Medit. ad π. Spec. CCCIV. Med. 6.* et an non minimum condemnatoria in vsuras a tempore accepti iudicii aut litis contestatae ferenda ob *L. 38. §. 7. π. de vsur.* alia est eaque dubia adhuc quaestio. Caeterum vbi lex quaedam specialis vel promissio certum soluendae doti diem praefigit, quale exemplum *Dn. Leyser d. Spec. Med. 8.* lex Statut. Vefal. quae exsolutionem dotis statim post celebratas nuptias iniungunt, commemorat, quod tunc legis prouisio vel diei dictio interpellet, et ex mora obligationem ad vsuras etiam neglecto biennio, ex eo die quo solutio fieri debuisset, inducat, asserere nulli dubitamus. At nominandi nunc sunt Iurium cultores Nobilissimi

DN. IACOBVS FRIDERICVS KNEBEL, Zittau. Lusat.

DN.

DN. CHRISTIANVS MEINER, Schneeb.
DN. CAROLVS GOTTHILF WEISE,
Cygn. Misn.
DN. IOHANNES MARTINVS PFARR,
Numburg.
DN. CHRISTOPHORVS BENIAMIN
LANGE, Martisburg.
DN. IOHANNES CHRISTOPHORVS
FRIEDRICH, Rochl. Misn.
DN. IOHANNES DAVID ROSNER,
Neostad. ad Schneeb.
DN. IOHANNES CHRISTIANVS
SCHERZER, Lips.

quorum quisque publicis disputationibus in Audi-
torio Petrino, ad integrum aliquem Pandectarum
Librum, a Ludouici in compendium redactum, die-
bus publice pro valuis designandis, respondentis
partes tuebitur, cui ex commilitonibus duo oppo-
nent. Sunt vero Libri Pandectarum qui ordine se-
quuntur X. ad XVII. Vt ergo his Exercitationibus
Almae matris, maxime vero Themidos Alumni fre-
quentes interfint, eosdem humanissime inuita-
tos cupimus. P. P. Lipsiae Fest. S. S. Tr.
A. S. M DCC XXXVI

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



Leipzig, Diss., 1736

ULB Halle

3

004 824 970



f

TA → OL nur 1 Stück an





1104p.

58

1736, 19.



LECTORI BENEVOLO
 S. P. D.
 D. IOHANNES FLORENS
 RIVINVS
 PAND. P. P.

J. D. Grotth

